Nobiliss.e et Ampl.e D[omi]ne.

ACAD. LUGD BAT. BIBL.

Tam ~~mat~~ amica memoria mei, imò tam magnifica (quanquam de se, et sine alia laude, magnificum est partem tenere in animo isto generoso) impressa litteris ad cultorem tui, amicum vero communem Puteanum, fecit mihi animos scribendi quamvis pleno negotiis epistolam vacuam illarum rerum, nisi affectus et veneratio-nis.

2 Utrumque omnis ordo Eruditorum debet candori tuo et humanitati in ipsum, tanto impensius, quod fiduciâ singulari, illustribus in negotiis exercitati, despicere eum posses, nisi dignitatem Modestiâ, gloriam humanitate superares, id est majorem auctoritatis gradum omnium votis mereris. Quo majore nos laetitiâ afficit fama, ijs te socians, quod negotium pacificationis Monasterium vocabit. Utinam uberrent potius hae litterae Hagae directae, quam erravit fama; tantum tibi decus, tantum votis bonorum fulcrum promitteres! Interim dum fluctuat spes publicae quietis, dum nondum hae consilescunt turbae, tantum, quaeso, demum velis inopiae servitati meae commeandi cum famulo per Hollandiam et vicinum territorium et Diploma ~~(quod mitto)~~ Serenissimi Principis ad sex iterum menses prorogetur. Mitto

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Tuldenus) 8
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3486

eruditioni tuæ hanc BIBLIOTHECAM BELGI-
CAM, fœtum viri in hac Academiâ celebris.
Superiore æstate misi exemplar pro-
missum dudum lucubrationis meæ. Nescio
tamen, an pervenerit: si aberravit, quæso
indica, aliud submissuro. PUTEANUS tuus
modò Mechliniæ est; ubi redierit, scripto
te aditurus. Argumentum et ipsi erit actio
gratiarum: nam has solas partes munificentia
tua nobis reliquit. Dabit Deus, ut aliquan-
do et ipsi ac munifici simus: interim cum
gratis obtestantes votis, ut animo tam be-
nigno larga facilitasque exercendi sui co-
pia semper suppeditet. Vale.

Perpetuo affectu cultuque
tuus Diodorus Tuldenus
I.V.D. et Prof.r Prim.

Lov. 20. Mar. 1644.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Tuldenus) 8
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3486

Nobiliss.º et Ampl. V. ac D.ᵒⁱⁿᵒ

D.ᵒⁱⁿᵒ CONSTANTINO HUGENIO

Equiti, Toparchæ de Sulichum,

Consiliario et Secretario Principis etc.

Hagæ-Comitis.

p amicum

cum libro.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Tuldenus) 8
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3486